

lucis in oculum diu & noctu æque immit-
tat.

II. Antequam sensationum naturam & leges explicemus, admirandam corporis humani machinam, rudi minerva, quantum ad institutum nostrum satis est, describemus. Constat hæc machina ex partibus *solidis & fluidis*. Inter partes solidas 1 considerabimus *fibras*, quæ sunt partes similes seu ex aliis partibus ad sensum similibus compositæ, tenues instar fili diverso tractu protensæ, ex quibus diverso modo contextis & junctis, reliquæ partes solidæ componuntur. 2 *Nervi* sunt partes similes, albicantes, duriores, elasticæ & admodum sensibiles; oriuntur ex cerebro, suntque vel *motorii*, quibus partium corporis motus producitur, vel *sensorii*, quibus sensatio omnis absolvitur; relectis enim nervis, aut vehementius compressis, membra inferius posita & motum & sensum amittunt 3 *Membrana* sunt tenues partes quæ in longum & latum expansæ alias partes obtegunt, & ob copiosissimos nervos iis intertextos sunt eximie sensibiles 4 *Tunicæ* sunt membranae intortæ quæ vasorum & canalium cavitates continent . . . 5 *Ligamenta* sunt partes membranaceæ, solidiores & firmiores, valde elasticæ, variæ figuræ & crassitie, quibus potissimum ossa invicem connectuntur 6 *Ossa* sunt partes corporis durissimæ, rigidæ, albæ, sensu destitutæ & plerumque cavæ, quibus reliquæ partes molliores innituntur aut defenduntur. In majoribus ossibus reperitur intus cavitas, qua